

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: et ego ſicut fœnum arui.

Tu autem, Dñe, in æternum permanes: et memoriale tuũ in generatione, et generationẽ.

Tu exurgẽs, Domine, miſereberis Sion: quia tẽpus miſerendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: et terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomẽ tuum, Domine: et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: et videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: et nõ ſpreuit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Vt annuntient in Sion nomen Domini: et laudem eius in Hieruſalem.

In conueniendo populos in vnũ: et reges vt ſeruiant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorũ: in generatione et generationẽ anni tui.

Initio tu, Domine, terrã fundaſti: et opera manuum tuarum ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, et mutabũtur: tu autẽ idem ipſe es, et ãni tui nõ deficient.

Filii ſeruorũ tuorum habitabũt: et ſemen eorũ in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Pſalm. 129.

De profundis clamaui ad te, Dñe: Dñe, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris Dñe: Domine, quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, et propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: et copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Pſalm. 142.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quia perſecutus eſt inimicus animã meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi, et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorũ meditatus ſum in omnibus operibus tuis: et in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me et ſimilis